


ORDO CORONANDI IMAGINEM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

ORDO
CORONANDI IMAGINEM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS



ORDO CORONANDI IMAGINEM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

EDITIO TYPICA



TYPIS VATICANIS
MMX

Editio typica 1981
Reimpressio 2010

ISBN 978-88-209-8405-2

www.libreriaeditricevaticana.com



SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS
ET CULTU DIVINO

Prot. CD 600/81

DECRETUM

Beata Virgo, aula regalis in qua sæculorum Rex carnem induit humanam, ab Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, Domina ac Regina salutatur. Ad hanc dignitatem recolendam, inter alia obsequia consuetudo invaluit gloriosæ Deiparæ imagines, veneratione insignes, regio diademate coronandi.

Huic Sacræ Congregationi pro Sacramentis et Cultu Divino opportunum visum est, post novos libros liturgicos editos, ritum coronationis recognoscere, ut indoli ac normis instauratæ liturgiæ accommodaretur et plenius exprimeret sensum et vim coronationis imaginum beatæ Mariæ Virginis.

Novum *Ordinem coronandi imaginem beatæ Mariæ Virginis*, a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino apparatum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II auctoritate sua approbavit evulgarique iussit.

Quapropter hæc Sacra Congregatio, de mandato Summi Pontificis, *Ordinem coronandi imaginem beatæ Mariæ Virginis* publici iuris facit, qui, lingua latina exaratus, statim ac

prodierit vigere incipiet; linguis autem vernaculis, cum translationes a Sede Apostolica sint confirmatæ, a die quem Conferentiæ Episcopales statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die XXV martii anni MCMLXXXI, in Annuntiatione Domini.

IACOBUS R. Card. KNOX
Præfectus

VERGILIUS NOÈ
a Secretis adiunctus

PRÆNOTANDA

De ritus natura ac sensu

1. Sancta Mater Ecclesia non dubitavit pluries affirmare Christi eiusque Matris necnon Sanctorum imaginibus cultum legitime tribui fidelesque sæpius docuit quid de illo cultu esset sentiendum.[1]

2. Imaginibus autem beatæ Mariæ Virginis haud raro veneratio exhibetur eius caput regia corona exornando. Si vero sancta Dei Genetrix effingitur divinum Filium ulnis gestans, utraque imago coronatur. In actione rituali primum imago Filii corona redimitur, tum Matris.

3. Consuetudo beatam Mariam Virginem regali diademate redimitam effingendi a temporibus Concilii Ephesini (a. 431) invaluit cum in Orientis tum in Occidentis partibus. Artifices christiani enim gloriosam Matrem Domini sæpe pinxerunt regio in solio sedentem, regalibus ornatam insignibus atque Angelorum Sanctorumque cælitum circumfusam cohorte. Quibus in imaginibus haud raro divinus Redemptor repræsentatur Matrem cingens fulgenti corona.[2]

4. Consuetudo vero imagines beatæ Mariæ Virginis coronandi a piis christifidelibus, sive religiosis sive laicis, propagata est in Occidentis partibus maxime a sæculo XVI exeunte. Romani Pontifices non solum huic formæ popularis pietatis obsecundarunt, sed « sæpenumero Deiparæ Virginis imagines, publica iam veneratione insignes, vel propriis ipsi manibus, vel per sacros ab se delegatos Antistites, diademate decorarunt ».[3]
Qua consuetudine increbrescente, factum est ut ritus appararetur coronandi imagines beatæ Mariæ Virginis, qui sæculo XIX in Liturgiam Romanam receptus est.[4]

[1] Conc. Nicænum II, anno 787: Mansi 13, 378-379; Conc. Trident., Sess. 25: Mansi 33, 171-172; Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 111: *A.A.S.* 56 (1964) p. 127; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 67: *A.A.S.* 57 (1965) pp. 65-66; PAULUS VI, Adhortatio Apostolica, *Marialis cultus*, die 2 februarii 1974: *A.A.S.* 66 (1974) pp. 113-168.

[2] Cf. PIUS XII, Litteræ Encyclicæ, *Ad Cæli Reginam*, die 11 octobris 1954: *A.A.S.* 46 (1954) pp. 632-633.

[3] *Ibid.*, p. 633.

[4] Pontificali Romano, sub titulo *Ritus servandus in coronatione imaginis B. Mariæ Virginis*, insertus est Ordo, saeculo XVII exaratus, qui adhibebatur ad imagines coronandas nomine Capituli Vaticani.

5. Hoc ritu Ecclesia profitetur beatam Mariam Virginem merito Reginam et haberi et invocari, utpote quæ sit:
— Mater Filii Dei et Regis messianici: sancta Maria enim Mater est Christi, Verbi incarnati, in quo «condita sunt universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes sive principatus sive potestates»;[5] Mater Filii David, de quo Angelus prophetavit, dicens: «erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit super domum Iacob in æternum, et regni eius non erit finis»;[6] unde Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, beatam Virginem, Christo fetam, «Matrem Domini» salutavit;[7]
— alma Redemptoris Socia: beata Virgo enim, ex æterno Dei consilio, nova Heva, eximias habuit partes in opere salutis, quo Christus Iesus, novus Adam, nos redemit et sibi acquisivit non corruptibilibus auro vel argento sed pretioso sanguine[8] et fecit nos regnum Deo nostro;[9]
— perfecta Christi discipula: Nazarethana Virgo enim, consilio divino consentiens, in peregrinatione fidei progrediens, verbum Dei audiens et custodiens, unionem cum Filio fideliter usque ad crucem sustinens, cum Ecclesia in oratione perseverans, in Dei amore proficiens, eminenti modo meruit «coronam iustitiæ»,[10] «coronam vitæ»,[11] «gloriæ coronam»[12] fidelibus Christi discipulis promissam; itaque «expleto terrestris vitæ cursu, corpore et anima ad cælestem gloriam assumpta est, ac tamquam universorum Regina a Domino exaltata, ut plenius conformaretur Filio suo, Domino dominantium ac peccati mortisque victori»;[13]
— supereminens Ecclesiæ membrum: Ancilla Domini enim, quæ veteris Israel exstitit consummatio et novi Populi Dei sancta inchoatio,[14] Ecclesiæ est «portio maxima, portio optima, portio præcipua, portio electissima»;[15] benedicta inter mulieres, propter singulare

[5] *Col* 1, 16.
[6] *Lc* 1, 32-33.
[7] Cf. *Lc* 1, 41-43.
[8] Cf. *1 Pt* 1, 18-19.
[9] Cf. *Ap* 5, 10.
[10] Cf. *2 Tim* 4, 8.
[11] Cf. *Iac* 1, 12; *Ap* 2, 10.
[12] Cf. *1 Pt* 5, 4.
[13] Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 59: *A.A.S.* 57 (1965) p. 62.
[14] Cf. Ven. Gerhohius Reicherspergensis, *De gloria et honore Filii hominis*, X, 1: *PL* 194, 1105.
[15] Paulus VI, *Allocutio ad Conciliares Patres habita, tertia exacta Concilii Œcu-*

munus sibi commissum erga Christum omniaque membra eius mystici Corporis necnon propter virtutum copiam et gratiæ plenitudinem, eminet in genere electo, regali sacerdotio, gente sancta,[16] quæ est Ecclesia; quare hominum et Angelorum Domina atque Sanctorum omnium Regina merito invocatur. Gloria autem beatæ Virginis, filiæ Adam hominumque sororis, non solum Populum Dei exornat sed totum nobilitat humanum genus.[17]

6. Ad Episcopum diœceseos, una cum communitate locali, iudicare spectat de opportunitate imaginis beatæ Mariæ Virginis coronandæ. Animadvertatur tamen eas solas imagines opportune coronari, quas fideles tanta adeant cum fiducia in Matrem Domini, ut ipsæ celebritate quadam polleant et locus ubi coluntur sedes ac veluti centrum factum sit germani cultus liturgici et christianæ navitatis.
Congruo tempore antequam ritus celebretur fideles instituantur oportet de eius sensu atque indole mere religiosa, ut celebrationi fructuose intersint eamque recte interpretentur.

7. Diadema seu corona imagini imponenda ex ea sit confecta materia, quae sit apta ad exprimendam singularem beatae Virginis dignitatem; vitetur tamen nimia magnificentia ac sumptuositas necnon splendor et copia gemmarum, quae christiani cultus sobrietatem dedeceant aut fidelibus loci, propter eorum tenuem vitae cultum, iniuriam quandam inferant.

De ritus ministro

8. Ritus congruenter peragitur ab Episcopo diœceseos; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo vel presbytero, præsertim ei quem socium et adiutorem habuerit in cura pastorali fidelium, quorum in ecclesia imago coronanda honoratur.
Si autem imago coronatur nomine Romani Pontificis, ea serventur quæ in Brevi Apostolico indicantur.

menici Vaticani secundi sessione, die 21 nov. 1964: *A.A.S.* 56 (1964) p. 1014; cf. Rupertus, *In Apocalypsim commentarium*, l. VII, cap. 12: *PL* 169, 1043.

[16] Cf. *1 Pt* 2, 9.

[17] Cf. Paulus VI, Adhortatio Apostolica, *Marialis cultus*, die 2 februarii 1974: *A.A.S.* 66 (1974) pp. 162-163.

De die et actione liturgica eligendis

9. Ritus coronationis convenienter peragitur in sollemnitatibus et festis beatæ Mariæ Virginis aliisque diebus festis. Ne peragatur tamen in maximis Domini sollemnitatibus necnon diebus quibus indoles inest paenitentialis.

10. Pro rerum adiunctis, coronatio imaginis beatæ Mariæ Virginis fieri potest intra Missam, in Liturgia Horarum ad Vesperas vel in apta verbi Dei celebratione.

De rebus parandis

11. Ad ritum coronationis peragendum, præter ea quæ sunt necessaria ad celebrationem actionis liturgicæ cum qua ipse ritus coniungitur, hæc parentur:

— Ordo coronationis;
— Lectionarium Romanum;
— corona vel coronæ apto loco dispositæ;
— vas aquae benedictæ cum aspersorio;
— turibulum cum navicula incensi et cochleari.

12. Adhibentur sacræ vestes coloris albi vel festivi, nisi vero Missa celebretur quæ vestes alius coloris requirat (cf. supra n. 9).

Si Missa celebratur, parentur:

— pro Episcopo: alba, stola, planeta, mitra, baculus pastoralis;
— pro diaconis: albæ, stolæ et, pro opportunitate, dalmaticæ;
— pro lectore ceterisque ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

ORDO CORONATIONIS

I. CORONATIO IMAGINIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS INTRA EUCHARISTIÆ CELEBRATIONEM

13. Si iuxta rubricas fieri potest, congruenter celebratur Missa de beata Maria Virgine Regina (die 22 augusti) vel Missa respondens titulo qui in imagine coronanda repræsentatur.

14. In Missa omnia fiunt more solito, usque ad Evangelium inclusive. Expleto Evangelio, Episcopus homiliam habet in qua cum lectiones biblicas tum maternum atque regale munus beatæ Mariæ Virginis in Ecclesiæ mysterio illustrat.

Gratiarum actio et invocatio

15. Post homiliam, ministri ad Episcopum ferunt coronas (coronam) quibus imagines Christi eiusque Matris redimiendæ sunt. Tunc Episcopus, deposita mitra, surgit et, stans ad sedem, dicit hanc precem in qua, si tantum imago beatæ Mariæ Virginis est coronanda, versus qui imáginem Christi eiúsque Matris mutatur versu qui imáginem Matris Fílii tui, ut suo loco notatur:

Benedíctus es, Dómine, Deus cæli et terræ,
qui miséricors et iustus
elátos dispérdis et exáltas elísos;
cuius mirándi consílii
in Verbo incarnáto eiúsque Vírgine Matre
summum nobis exémplum dedísti:
Fílius enim tuus,
qui usque ad mortem crucis voluntárie se humiliávit,
ætérna fulget glória et ad déxteram tuam sedet,
Rex regum et Dóminus dominántium;
sed et Virgo, quæ ancílla tua vóluit appellári,
Redemptóris Génetrix elécta est veráque Mater vivéntium,
et nunc, super choros Angelórum exaltáta,
cum Fílio regnat gloriósa,
pro cunctis homínibus exórans,
advocáta gratiæ et misericórdiæ regína.

Hos ergo, Dómine, fámulos tuos intuére benígnus,
qui imáginem Christi eiúsque Matris
(vel: qui imáginem Matris Fílii tui)
visíbili redimiéntes coróna
Fílium tuum universórum Regem confiténtur
et beátam Vírginem implórant Regínam.

Quorum preméntes vestígia tibi desérviant
et, legem impléntes amóris,
sibi ínvicem minístrent impénse;
semetípsos ábnegent
et, dispéndium sui faciéntes,
ánimas fratrum lucréntur;
humília sectántes in terris
ad excélsa provehántur cælórum,
ubi coróna vitæ rédimis servos fidéles.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Impositio coronæ

16. Expleta oratione, Episcopus coronas (coronam) aqua benedicta aspergit et, nihil dicens, imaginem beatæ Mariæ Virginis corona exornat. Si vero beata Virgo cum Iesu infante repræsentatur, primum — ut supra dictum est (cf. n. 2) — imago Filii coronatur, tum Matris.

17. Corona imposita, canitur antiphona (cf. App. n. 1):

Regína mundi digníssima,
María Virgo perpétua,
intercéde pro nostra pace et salúte,
quæ genuísti Christum Dóminum,
Salvatórem ómnium (T.P. Allelúia)

vel alius aptus cantus.
Interea Episcopus imaginem beatæ Mariæ Virginis incensat.

Oratio universalis

18. Cantu expleto, fit oratio universalis hoc vel alio apto modo. Episcopus adstantes ad orandum invitat, dicens:

Ad Deum Patrem,
qui beátæ Maríæ Vírgini magna fecit
et mirabília pietátis suæ in Ecclésia iúgiter operátur,
súpplices dirigámus preces.

℟. Præsta, omnípotens Deus.

Lector intentiones profert:

1. Pro Ecclésia,
ut cum Maríæ cóncinens voce,
magnália Dei cunctis pópulis núntiet
eiúsque célebret misericórdiam,
qui poténtes de sede depónit
et exáltat húmiles,
Dóminum exorémus. ℟.

2. Pro univérsis géntibus,
ut, divíno impellénte Spíritu,
in unum Pópulum Dei,
sub Christo Rege felíciter congregéntur,
Dóminum exorémus. ℟.

3. Pro natiónum concórdia,
ut, Regínæ pacis interveniénte suffrágio,
ódia quiéscant, bella componántur,
univérsæ gentes operósa pólleant concórdia,
Dóminum exorémus. ℟.

4. Pro iis qui infirmitáte, paupertáte,
solitúdine labórant,
in vínculis lánguent

vel persecutiónem patiúntur,
ut beáta Virgo, misericórdiæ regína,
eórum spem érigat
ac matérno solácio eos refíciat,
Dóminum exorémus. ℟.

5. Pro nobis ómnibus hic congregátis,
ut, singulárem beátæ Vírginis dignitátem agnoscéntes,
eius humilitátem
et spíritum servitútis imitári contendámus,
eámque in dies diligámus ardéntius,
Dóminum exorémus. ℟.

Episcopus orationem concludit, dicens:

Intercédat pro nobis, quæsumus, Dómine,
beáta María semper virgo,
quam nobis dedísti Matrem atque Regínam,
ut de plenitúdine grátiæ tuæ
nos quoque mereámur accípere.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

19. Si opportunum videtur, Episcopus, post donorum, altaris, crucis incensationem, imaginem quoque beatæ Mariæ Virginis incensat.

20. Deinde Missa prosequitur more solito. Post Missam canitur antiphona Salve Regína vel Ave, Regína cælórum aut, tempore paschali Regína cæli aliusve aptus cantus in laudem beatæ Mariæ Virginis.

II. CORONATIO IMAGINIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS CELEBRATIONI VESPERARUM CONIUNCTA

21. Si iuxta rubricas fieri potest, congruenter celebrantur Vesperæ de beata Maria Virgine Regina (die 22 augusti) vel Vesperæ respondentes titulo qui in imagine coronanda repræsentatur.

Ritus initiales

22. Vesperæ incipiunt more consueto. Expletis versu introductorio et Glória Patri, antequam hymnus canatur, Episcopus, pro opportunitate, monitionis instar, fideles alloquitur ut eos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret, quod facere potest his vel similibus verbis:

Declinánte iam die,
huc lætántes convénimus
ad celebrándum sacrifícium vespertínæ laudis
atque ad imáginem beátæ Virginis Deíparæ (eiúsque Fílii)
sollémniter coronándam.
Hic ritus, eius íntimam natúram perspiciéntibus,
schola quædam erit illíus evangélicæ doctrínæ,
ex qua in Regno cælórum illi sunt maióres,
qui in servítio et caritáte primi exstitérunt.
Ipse Dóminus noster,
qui non venit ministrári sed ministráre,
cum exaltátus fuit a terra ómnia ad se attráxit,
et e ligno regnávit vi amóris et mansuetúdinis.
Sancta María autem, quam hódie prædicámus gloriósam,
in terris húmilis fuit ancílla Dómini;
Fílio eiúsque óperi totáliter mancipáta,
cum ipso et sub ipso redemptiónis mystério inservíit;
ad cæléstem glóriam evécta,
salutíferum munus erga Christi fratres non depósuit,
sed de eórum ætérna salúte sollícita,
minístra pietátis exsístit et amóris regína.

Psalmodia

23. Expleto hymno, sequitur cantus vel recitatio psalmorum cum suis antiphonis.

Lectio verbi Dei

24. Absoluta psalmodia, convenienter fit lectio longior, selecta ex iis quæ in Lectionario proponantur pro festis beatæ Mariæ Virginis, præsertim pro die 22 augusti (Is 9, 1-3. 5-6).

25. Deinde Episcopus homiliam habet in qua cum lectionem biblicam tum maternum atque regale munus beatæ Mariæ Virginis in Ecclesiæ mysterio illustrat.

26. Post lectionem vel homiliam, pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium verbum Dei silentio meditantur. Tum canitur responsorium breve:

℟. Sancta María, totius mundi Regína, * cum Christo regnat in ætérnum. Sancta María.

℣. Assúmpta est in cælum. * Cum Christo regnat in ætérnum. Glória Patri. Sancta María

vel cantus eiusdem indolis.

Gratiarum actio et invocatio

27. Cantu expleto, ministri ad Episcopum ferunt coronas (coronam) quibus imagines Christi eiusque Matris redimiendæ sunt. Tunc Episcopus, deposita mitra, surgit et, stans ad sedem, dicit hanc precem in qua, si tantum imago beatæ Mariæ Virginis est coronanda, versus qui imáginem Christi eiúsque Matris mutatur versu qui imáginem Matris Fílii tui, ut suo loco notatur:

Benedíctus es, Dómine, Deus cæli et terræ,
qui miséricors et iustus
elátos dispérdis et exáltas elísos;

cuius mirándi consílii
in Verbo incarnáto eiúsque Virgine Matre
summum nobis exémplum dedísti:
Fílius enim tuus,
qui usque ad mortem crucis voluntárie se humiliávit,
æterna fulget glória et ad déxteram tuam sedet,
Rex regum et Dóminus dominántium;
sed et Virgo, quæ ancílla tua vóluit appellári,
Redemptóris Génetrix elécta est veráque Mater vivéntium,
et nunc, super choros Angelórum exaltáta,
cum Fílio regnat gloriósa,
pro cunctis homínibus exórans,
advocáta grátiæ et misericórdiæ regína.

Hos ergo, Dómine, fámulos tuos intuére benígnus,
qui imáginem Christi eiúsque Matris
(vel: qui imáginem Matris Fílii tui)
visíbili redimiéntes coróna
Fílium tuum universórum Regem confiténtur
et beátam Vírginem implórant Regínam.

Quorum preméntes vestígia tibi desérviant
et, legem impléntes amóris,
sibi ínvicem minístrent impénse;
semetípsos ábnegent
et, dispéndium sui faciéntes,
ánimas fratrum lucréntur;
humília sectántes in terris
ad excélsa provehántur cælórum,
ubi coróna vitæ rédimis servos fidéles.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Impositio coronæ

28. Expleta oratione, Episcopus coronas (coronam) aqua benedicta aspergit et, nihil dicens, imaginem beatæ Mariæ Virginis corona exornat. Si vero beata Virgo cum Iesu infante repræsentatur, primum — ut supra dictum est (cf. n. 2) — imago Filii coronatur, tum Matris.

Canticum evangelicum

29. Corona imposita, canitur canticum beatæ Mariæ Virginis cum antiphona (cf. App. n. 2):

Beáta es, Virgo María,
quia credidísti quæ dicta sunt tibi a Dómino:
cum Christo regnas in ætérnum

vel antiphona (cf. App. n. 3):

O beáta Virgo María,
tu misericórdiæ Regína, tu spes mundi,
exáudi nos fílios tuos clamántes ad te

vel antiphona (cf. App. n. 4):

Beáta Mater et intácta Virgo María,
gloriósa Regína mundi,
intercéde pro nobis ad Dóminum.

Canticum B. Mariæ V. — Lc 1, 46-55

Magníficat *
  ánima mea Dóminum,
et exsultávit spíritus meus *
  in Deo salvatóre meo,
quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. *
  Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
quia fecit mihi magna, qui potens est, *
  et sanctum nomen eius,

et misericórdia eius in progénies et progénies *
timéntibus eum.

Fecit poténtiam in brácchio suo, *
dispérsit supérbos mente cordis sui;
depósuit poténtes de sede *
et exaltávit húmiles;
esuriéntes implévit bonis *
et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, *
recordátus misericórdiæ,
sicut locútus est ad patres nostros, *
Abraham et sémini eius in sæcula.

Glória Patri. Sicut erat.

Et repetitur de more antiphona. Dum canitur canticum evangelicum, Episcopus, post altaris crucisque incensationem, imaginem quoque beatæ Mariæ Virginis incensat.

Preces seu intercessiones

30. Absoluto cantico, fit oratio universalis vel modo qui supra n. 18 propositus est vel modo sequenti:

Fratres, Christum universórum Regem,
qui est ante ómnia et in quo ómnia constant,
orémus clamántes:

℟. Regnum tuum in córdibus nostris constítue, Dómine.

Christe, Rex noster,
qui in mundum venísti,
ut testimónium perhibéres veritáti,
— te agnóscant omnes méntium et córdium dóminum. ℟.

Christe, Princeps pacis,
díssipa belli consília,
— et in hóminum córdibus pacis cogitatiónes súscita. ℟.

Christe, Heres universórum,
cóngrega hereditátem tuam in sanctam Ecclésiam,
— ut cunctæ gentes fiant regni tui cohéredes, ℟.

Christe, Iudex ætérne,
cum tradíderis regnum tuum Deo Patri,
pone nos a dextris tuis
— et fac ut possideámus regnum parátum nobis
ante mundi constitutiónem. ℟.

Christe, Mediátor Dei et hóminum,
qui Maríam misericórdiæ constituísti regínam,
— eius intercessióne concéde medélam lánguidis,
solámen mæréntibus, véniam peccatóribus. ℟.

Christe, Salvátor hóminum,
qui Maríam cæli coronásti Regínam,
— fac ut defúncti in regno tuo
cum Sanctórum ágmine gáudeant in ætérnum. ℟.

Deinde Episcopus opportune introducit orationem dominicam his vel similibus verbis:

Et nunc omnes simul, ut fílii dilectíssimi,
de glória lætántes beátæ Maríæ Vírginis
et eius matérna intercessióne confísi,
Deum Patrem ex corde deprecémur
sicut ipse Christus Iesus nos dócuit oráre:

Omnes:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.

Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Episcopus immediate dicit hanc precem nisi Officium diei aliam requirat:

Deus, qui Fílii tui Genetrícem
nostram constituísti Matrem atque Regínam,
concéde propítius, ut, ipsíus intercessióne suffúlti,
tuórum in regno cælésti consequámur glóriam filiórum.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Omnes:

Amen.

31. Tum Episcopus benedicit populum more consueto; diaconus eum dimittit. Denique opportune canitur antiphona Salve Regína vel Ave, Regína cælórum aut, tempore paschali, Regína cæli aliusve aptus cantus in laudem beatæ Mariæ Virginis.

III. CORONATIO IMAGINIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS CELEBRATIONI VERBI DEI CONIUNCTA

Ritus initiales

32. Populo in ecclesia congregato, Episcopus, in secretario vel alio loco apto, assumit super rochetum vel albam, crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris albi vel festivi, et accipit mitram et baculum. Comitatus a diaconis aliisque ministris ingreditur ecclesiam dum canitur antiphona (cf. App. n. 5):

Astitit Regína a dextris tuis
in vestítu deauráto, circúmdata varietáte

vel antiphona (cf. App. n. 6):

Signum magnum appáruit in cælo:
múlier amícta sole,
et luna sub pédibus eius,
et in cápite eius coróna stellárum duódecim

cum Psalmo 44, vel alius aptus cantus.

Psalmus 44

(2-3. 7-10. 14-18)

Eructávit cor meum verbum bonum, †
dico ego ópera mea regi. *
Lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis.

(Repetitur antiphona)

Speciósus forma es præ fíliis hóminum, †
diffúsa est grátia in lábiis tuis, *
proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

(Repetitur antiphona)

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; *
sceptrum aequitátis sceptrum regni tui.
Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem, †
proptérea unxit te Deus, Deus tuus, *
óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

(Repetitur antiphona)

Myrrha et áloe et cásia ómnia vestiménta tua, *
e dómibus ebúrneis chordæ deléctant te.
Fíliæ regum in pretiósis tuis; *
ástitit regína a dextris tuis ornáta auro ex Ophir.

(Repetitur antiphona)

Gloriósa nimis fília regis intrínsecus, *
textúris áureis circumamícta.
In véstibus variegátis adducétur regi; *
vírgines post eam, próximæ eius, afferúntur tibi.
Afferúntur in lætítia et exsultatióne, *
adducúntur in domum regis.

(Repetitur antiphona)

Pro pátribus tuis erunt tibi fílii; *
constítues eos príncipes super omnem terram.
Memor ero nóminis tui *
in omni generatióne et generatióne;
proptérea populi confitebúntur tibi in ætérnum *
et in sæculum sæculi.

(Repetitur antiphona)

33. Episcopus cum ad altare pervenerit, baculum et mitram deponit, altare veneratur et sedem petit, ubi, cantu expleto, adstantes salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
ex alma Vírgine nati,
et cáritas Dei,

et communicátio Sancti Spíritus
sit cum ómnibus vobis.

Vel alia apta verba e sacra Scriptura praesertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

34. Deinde Episcopus, monitionis instar, fideles alloquitur ut eos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret, quod facere potest his vel similibus verbis:

Lætántes convénimus, fílii dilectíssimi,
ad imáginem beátæ Vírginis Deíparæ (eiusque Filii)
sollémniter coronándam.
Huic celebratióni inténtis adsímus ánimis,
in primis verbum Dei audiéntes cum fide.
Hic ritus, eius íntimam natúram perspiciéntibus,
schola quædam erit illíus evangélicæ doctrínæ,
ex qua in Regno cælórum illi sunt maióres,
qui in servítio et caritáte primi exstitérunt.
Ipse Dóminus noster,
qui non venit ministrári sed ministráre,
cum exaltátus fuit a terra ómnia ad se attráxit,
et e ligno regnávit vi amóris et mansuetúdinis.
Sancta María autem, quam hódie prædicámus gloriósam,
in terris húmilis fuit ancílla Dómini;
Fílio eiúsque óperi totáliter mancipáta,
cum ipso et sub ipso redemptiónis mystério inférviit;
ad cæléstem glóriam evécta,
salutíferum munus erga Christi fratres non depósuit,
sed de eórum ætérna salúte sollícita,
minístra pietátis exsístit et amóris regína.

35. Expleta admonitione, Episcopus dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Turn Episcopus prosequitur:

Deus, qui Fílii tui Genetrícem
nostram constituísti Matrem atque Regínam,
concéde propítius,
ut, qui ad eius imáginem regáli diadémate
exornándam convénimus,
ipsíus intercessióne suffúlti,
tuórum in regno cælésti consequámur glóriam filiórum.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Lectio verbi Dei

36. Deinde leguntur sacrarum Scripturarum apti textus, selecti ex iis qui in Lectionario proponuntur pro festis beatæ Mariæ Virginis, præsertim pro die 22 augusti (Is 9, 1-3. 5-6 et Lc 1, 26-38), interiectis congruentibus psalmis responsoriis vel intervallis silentio peragendis. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat.

37. Lectionibus expletis, Episcopus homiliam habet, in qua cum lectiones biblicas tum maternum atque regale munus beatæ Mariæ Virginis in Ecclesiæ mysterio illustrat.

Gratiarum actio et invocatio

38. Post homiliam, ministri ad Episcopum ferunt coronas (coronam) quibus imagines Christi eiusque Matris redimiendæ sunt. Tunc Episcopus, deposita mitra, surgit et, stans ad sedem, dicit hanc

precem in qua, si tantum imago beatæ Mariæ Virginis est coronanda, versus qui imáginem Christi eiúsque Matris mutatur versu qui imáginem Matris Fílii tui, ut suo loco notatur:

Benedíctus es, Dómine, Deus cæli et terræ,
qui misericors et iustus
elátos dispérdis et exáltas elísos;
cuius mirándi consílii
in Verbo incarnáto eiúsque Vírgine Matre
summum nobis exémplum dedísti:
Fílius enim tuus,
qui usque ad mortem crucis voluntárie se humiliávit,
ætérna fulget glória et ad déxteram tuam sedet,
Rex regum et Dóminus dominántium;
sed et Virgo, quæ ancílla tua vóluit appellári,
Redemptóris Génetrix elécta est veráque Mater vivéntium,
et nunc, super choros Angelórum exaltáta,
cum Fílio regnat gloriósa,
pro cunctis homínibus exórans,
advocáta grátiæ et misericórdiæ regína.

Hos ergo, Dómine, fámulos tuos intuére benígnus,
qui imáginem Christi eiúsque Matris
(vel: qui imáginem Matris Fílii tui)
visíbili redimiéntes coróna
Fílium tuum universórum Regem confiténtur
et beátam Vírginem implórant Regínam.

Quorum preméntes vestígia tibi desérviant
et, legem impléntes amóris,
sibi ínvicem minístrent impénse;
semetípsos ábnegent
et, dispéndium sui faciéntes,
ánimas fratrum lucréntur;
humília sectántes in terris

ad excélsa provehántur cælorum,
ubi coróna vitæ rédimis servos fidéles.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Impositio coronas

39. Expleta oratione, Episcopus coronas (coronam) aqua benedicta aspergit et, nihil dicens, imaginem beatæ Mariæ Virginis corona exornat. Si vero beata Virgo cum Iesu infante repræsentatur, primum — ut supra dictum est (cf. n. 2) — imago Filii coronatur, tum Matris.

40. Corona imposita, canitur antiphona (cf. App. n. 1):

Regína mundi digníssima,
María Virgo perpétua,
intercéde pro nostra pace et salúte,
quæ genuísti Christum Dóminum,
Salvatórem ómnium (T.P. Allelúia)

vel alius aptus cantus. Interea Episcopus imaginem incensat; deinde ad sedem redit.

Supplicatio litanica

41. Postea canuntur litaniæ beatæ Mariæ Virginis hic propositæ, vel fit oratio universalis modo qui supra n. 18 vel n. 30 indicatur, vel alio apto modo:

Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, ora pro nobis
Sancta Dei Génetrix, ora pro nobis
Sancta Virgo vírginum, ora pro nobis

Elécta Fília Patris, ora pro nobis
Mater Christi Regis, ora pro nobis
Glória Spíritus Sancti, ora pro nobis

Virgo Fília Sion, ora pro nobis
Virgo pauper et húmilis, ora pro nobis
Virgo mitis et obœdiens, ora pro nobis

Ancílla Dómini, ora pro nobis
Mater Dómini, ora pro nobis
Sócia Redemptóris, ora pro nobis

Plena grátia, ora pro nobis
Fons pulchritúdinis, ora pro nobis
Summa virtútum, ora pro nobis

Præcélsus redemptiónis fructus, ora pro nobis
Perfécta Christi discípula ora pro nobis
Puríssima Ecclésiæ imágo, ora pro nobis

Múlier nova, ora pro nobis
Múlier amícta sole, ora pro nobis
Múlier stellis coronáta, ora pro nobis

Dómina benígna, ora pro nobis
Dómina clemens, ora pro nobis
Dómina nostra, ora pro nobis

Lætítia Israel, ora pro nobis
Splendor Ecclésiæ, ora pro nobis
Decus humáni géneris, ora pro nobis

Advocáta grátiæ, ora pro nobis
Minístra pietátis, ora pro nobis
Adiútrix Pópuli Dei, ora pro nobis

Regína caritátis, ora pro nobis
Regína misericórdiæ, ora pro nobis
Regína pacis, ora pro nobis

Regína Angelórum, ora pro nobis
Regína Patriarchárum, ora pro nobis
Regína Prophetárum, ora pro nobis
Regína Apostolórum, ora pro nobis
Regína Mártyrum, ora pro nobis
Regína Confessórum, ora pro nobis
Regína Vírginum, ora pro nobis
Regína Sanctórum ómnium, ora pro nobis
Regína sine labe origináli concépta, ora pro nobis
Regína in cælum assúmpta, ora pro nobis

Regína mundi, ora pro nobis
Regína cæli, ora pro nobis
Regína universórum, ora pro nobis

Agnus Dei qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Ora pro nobis, glorióssa Mater Dómini.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Episcopus supplicationem concludit, dicens:

Supplicatiónes servórum tuórum,
Deus miserátor exáudi;
et concéde nobis,
qui sollémni ritu sanctam Maríam, ancíllam tuam,
Matrem agnóvimus ac nostram Regínam,
ut, tibi et frátribus in terris deserviéntes,
in ætérni Regni sedes récipi mereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Conclusio ritus

42. Litaniis expletis, Episcopus, assumptis mitra et baculo, benedicit populum more consueto; diaconus eum dimittit, dicens:

Ite in pace.

Omnes:

Deo grátias.

43. Denique canitur antiphona Salve Regína vel Ave, Regína cælórum aut, tempore paschali, Regína cæli vel Sub tuum præsídium aliusve aptus cantus in laudem beatæ Mariæ Virginis.

APPENDIX
CANTUS ANTIPHONARUM

1. Antiphona in impositione coronæ (pag. 12).

I

Re- gí-na mun- di * di- gníssi- ma, Ma- rí- a Virgo perpé-

tu- a, intercé- de pro nostra pa- ce et sa-lú- te, quæ ge- nu-

ísti Christum Dómi-num Salva-tó- rem ómni- um.

2. Antiphona ad canticum beatæ Mariæ Virginis (pag. 18).

VIII G

Be- á- ta es * Virgo Ma-rí- a, qui- a credi-dísti quæ dicta sunt


ti-bi a Dómino: cum Chri-sto regnas in æ- térnum.

E u o u a e.


3. Antiphona ad canticum beatæ Mariæ Virginis (pag. 18).

I a 2

O be- á- ta Virgo Ma- rí- a, tu mi- se- ricórdi- æ Re-gí- na, tu




4. Antiphona ad canticum beatæ Mariæ Virginis (pag. 18).



5. Antiphona in initio celebrationis (pag. 22).



6. Antiphona in initio celebrationis (pag. 22).





mícta so- le, et lu- na sub pé-dibus e-ius, et in cá- pi-



te e- ius co-róna stellá-rum du- óde- cim.



E u o u a e.

INDEX